Neumann Lane Medical Library

DE

ILEOTYPHI THERAPIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

PROPTER SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

DIE I. M. AUGUSTI A. MDCCCLXVI RITE ACCEPTOS

SCRIPSIT

JONAS NEUMANN

SILESIUS.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

MDCCCLXVII.

AVUNCULO

CARISSIMO, SUMME VENERANDO

GUILELMO SILBERGLEIT

NEC NON

CONSANGUINEO DOCTISSIMO, DILECTISSIMO

L. G. SILBERGLEIT

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

DE ILEOTYPHI THERAPIA.

CAP. I.

Quaerentibus nobis, quomodo factum sit, ut de sanando ileotypho, quamvis viri summa doctrina summaque diligentia in ea re versati sint, nihil adhuc aut minimum cognitum atque exploratum habeamus, haec videtur causa subesse, quod quidem agens morbi aliquid exstare scimus, nescimus vero, quale sit. Ita fit, ut velut occulto adversario, sic causae incognitae arma nobis sint inferenda. Quamquam ne tum quidem, si causa morbi esset perspecta et dilucidata, rationem sanandi utique inveniremus, etenim saepe, etsi causae morbi indicantur, indicatis satisfacere non possumus, velut in trichiniasi morbisque aliis. Longum autem est auctorum veterum sententias de causis ileotyphi allatas recensere, falsas praesertim aut obscuras, quibus omissis potius videamus, quid auctores

CAP. II.

Nunc igitur ad praecipuos sanandi modos conversi primum de illorum methodo disseremus, qui typhum nascentem opprimere conati sunt. Quum enim typhus ipso initio fere una cum intestinorum molestiis incipiat, illi scriptores sperabant, progressum morbi oppressnm iri, si eo exorto materias crudas fortibus emeticis e stomacho ejiciendas curavissent. Multos hoc modo tractatos consanuisse gloriantur. Sed magno errore ducti esse videntur, quippe ab iis catarrhos gastricos acutos pro typhis esse habitos verisimile est. Praeterea nondum satis constabat, typhum, postquam aliquamdiu duraverit, aut subito aut paullatim morbo remittente saepe de causa non cognita abortivum fieri. Quo factum est, ut emeticis tribueretur, quod iis omissis non minus celeriter evenisset. Neque enim emeticorum indicatio subest, nisi res quaedam noxiae e stomacho amovendae sunt, aut secretis bronchiorum copiosioribus suffocandi periculum instat. Consulti quidem peritique medici tantum abesse dicunt, ut emetica ad statum morbi immutandum valeant, ut plerumque, quum diarrhoeas, taedium

ciborum vomitumque commoveant, vires denique aegrotantium magnopere debilitent, periculum afferant. Itaque emetica melius omittimus, nisi forte symptomata secuti ad ea descendimus.

Deinde calomelanos multi exstiterunt laudatores, idque variis modis adhiberi jusserunt. Iidem quidem eo typhum abortivum effici rati magnas doses praeberi voluerunt (adultis gr. vj vel x, infantibus gr. ij vel v quotidie). Jam extremo saeculo proximo Abel Duesseldorpiensis illas doses experiebatur, cujus exemplum secuti sunt Lesser, Schoenlein, Pfeuffer, qui faustissimos eventus se adeptos esse tradunt.

Hi quidem calomelane adhibito omnino statum morbi in melius immutatum esse dicunt, scilicet febrim actionemque nervorum insolitam ad normam regulamque rediisse, morbi denique decursui tempore praeter opinionem brevi finem esse impositum. Initio morbi calomelane nos uti jubent, si aut diarrhoea nulla aut perexigua sit. Nos tamen eventus spectantes, qui calomelane parti sunt, si non ejus usum repudiamus, certe omnino id adhibendum esse negamus. Quamquam enim nonnumquam morbus, ut modo exposuimus, mutatur, persaepe tamen ne minimum quidem ad symptomata emendanda illud valet.

De mortalitate proditum est, de centenis decenos vel vicenos vita defungi. Denique calomelane signa typhi propria non commutari et e multis aliis indiciis apparet et ex hac re elucet, quod post mortem in iis, qui calomelane usi sunt, easdem laesiones, quas in aliis reperimus. Ubi autem eo adhibito morbum in statum meliorem conversum videmus, nihil obstat, quominus illo excluso eundem morbi statum futurum fuisse contendamus.

Restat, ut de ea, quae ab hydrotherapeutis profecta est, methodo verba faciamus. Ajunt enim illi, contingere sibi, ut et frigidis iuvolutionibus atque frictionibus et multam aquam potui praebentes morbum abortivum faciant. Ea autem, quae enarrant, haud facile dijudicanda sunt, primum quidem propterea, quod casus, qui ultro abortivi fiunt, non rarissimi sunt, tum quod auctores saepe morbum parum intellexisse videntur, ita ut symptomatum primorum dierum complexum, quem typho non pathognomonicum esse apertum est, huic morbo ipsi tribuerint.

CAP. III.

Quum omnibus, quas commemoravimus, methodis typhus ab initio praecludi non possit, fuerunt, qui

progressum morbi multis variisque generalibus sanandi modis minus periculosum tolerabilioremque reddere vellent. De cujusmodi sanandi rationibus gravissimis nonnulla hoc loco disseramus.

Notissima est methodus illa sanguinis venaesectione et cucurbitulis imminuendi. Qui hanc sanandi methodum secuti sunt, ii morbum inflammationem et maxime quidem intestinorum abdominalium putabant. Qua re adducti praeter cetera remedia antiphlogistica sanguinem esse minuendum proposuerunt. Quin etiam quinque vel sex libras sanguinis Bouillaud ademit, ut admiratione afficiamur, quomodo fieri potuerit, ut haec sanandi ratio non tantopere obfuerit, quantopere profuisse praedicatur. Ipse Louis et Forget therapiam antiphlogisticam remedium esse praestantissimum profitentur. Sed in hac re vituperandum est, quod morbus magnopere producitur et convalescentia longior est, quia aegroti et ipso morbo et sanguinis detractatione confecti non facile revalescunt. Nunc vero omnes fere in eo consentiunt, sanguinis detractiones non solum nihil prodesse ad typhum procedentem repellendum, sed etiam aegro, quum ejus vires debilitent, sine ullo dubio nocere; contra enteritidem, quippe quae non existat, omnino non proponi possunt. Sanguinis

depletiones locales, cucurbitulis sive hirudinibus instituendae, in vehementissimis capitis et pulmonum congestionibus et inflammationibus localibus adhibendae sunt, ut rationi symptomaticae satisfiat.

Nec vero defuerunt, qui methodo cathartica uterentur. Ac praecipue quidem Delarocque primus aquae amarae, olei ricini, calomelanos, si iis assidue utebatur, effectus maxime laudavit, methodumque suam imitandam commendavit. Ipsi Bricheteau, Andral, Lebert typhos simili modo sanatos observandi facultas data erat. Attamen quantum nunc scimus, haec methodus cathartica tantum abest, ut multum proficiat, ut nihil prodesse videatur. Nihilo tamen secius medicamenta cathartica bono cum eventu symptomatice adhibentur, si morbo procedente alvus aliquamdiu non deposita est, tumque etiam morbo nascente, si alvus soluta est. Proponuntur clysmata, parvae olei ricini doses calomelanosve, alia medicamenta cathartica, attamen omnium doses parvae. Utrum sanguinis missiones, an perpetuo data laxantia magis noceant, quippe quae utilitatem omnino non secum ferant, maxime dubium est.

Est autem aliud medicorum genus, quod remediis antisepticis typhi turbationibus se repugnare posse

censet. Chlorum maxime variisque formis datum est: aquam chloratam, aquam oxymuriaticam, natrum chloratum, praeterea etiam cali hypermanganicum adhibuerunt. Ut omnis therapiae fructus sceptice considerandus est, ita etiam iis in casibus, qui ratione antiseptica prospere finiti dicuntur, suspicio nos incedit. Certe casus chloro curati non minus prospere finiti sunt, quam ii, qui diaetetice ac symptomatice sanati sunt. Quare non sequitur, ut antiputrida typhi sanandi ratio methodis aliis praeferenda sit.

Internus usus hydrargyri praeparatorum parvis dosibus nonnumquam cum externa hujus remedii applicatione conjunctus et apud puberes et praesertim apud impuberes medicis arte insignibus multum profuisse fertur. Jubet Lebert mane et vesperi calomelanos gr. j dari, Serres certas corporis partes unguento ex hydrargyro facto perfricari et intus sumi hydrargyri sulph. ℈β—℈j quotidie dosibus refractis et maxime quidem gravibus in casibus secundae hebdomadis, si morbus magis inflammatorius esse videtur, lingua arida, cute fervida, urina parca et turbulenta, pulsibus incitatis parvisque. Wood secunda quaque hora pilularum caerulearum gr. j sumendum proponit, praeterea parvis dosibus ipecacuanham et opium. Wunderlich

de centum uno aegrotis calomelane usis decem amisit. Griesinger 5% fere mortuos esse dicit, sed calomelani solum effectum laxantis lenis attribuit et se oleo ricini adhibito non alium exitum conspexisse dicit, ac calomelane. Negare non possumus, quin calomel studio et amore quodam a multis medicis nobilibus praecipue typho incipiente detur, quamquam successus hujus medicamenti insignes non commemorantur. Est autem facile intellectu, calomel ab iis maxime impendi, qui causam morbi censent parva animalia intestinalia esse, quae mercurio se esse sublaturos sperant.

Priores medici ab ineunte morbo remedia excitantia et tonica dederunt, methodumque eam per totum morbum non mutaverunt, nisi ut praeparata variarent. Porrexerunt enim chinam, amara dosibus magnis, vinum, ammoniacum, camphoram, moschum. Liquet autem, haec medicamenta nisi suo tempore data haudquaquam prodesse, ipsum fatigationis sensum, imbecillitatem principio morbi remedia irritantia minime indicare. Tum demum, quum instat collapsus, apud homines debilitatos prius, illa impendenda sunt. Maximam utilitatem praebent omnibus iis in casibus, qui cerebri anaemia habendi sunt, in deliriis, inquiete, con-

vulsionibus. Etiam apud senes et impuberes, quorum vigor corporis multo minor est, quam ut morbum conficientem sustineant, haec methodus certe suo loco est. Commendatur vinum dosibus parvis cum aqua mixtum; ab aliis autem, quod nobis multo efficacius esse videtur, suadetur, ut aegris cochlearia cibaria vini firmi dentur sine aqua aut decocto mucilaginoso. Ex medicaminibus, quae ex ammonio praeparantur, liquor ammonii anisati commendatur. Wood animadvertit effectus olei terebinthinae, cujus sumi jubet gutt. v—xx in solutione gummosa; si quis stomacho parum valet, nonnullae laudani guttae addantur.

Quum de methodo abortiva ageremus, rationem hydrotherapeuticam diximus ut aptissimam illustratam esse ad opprimendum morbum procedentem, atque eodem loco dubitavimus, num eae res, quae illuc pertinent, rectae sint. Jam quum de modis sanandi generalibus agamus, iterum nobis nonnulla disserenda sunt de hydrotherapia. Morbo non praecluso medici hanc solam colentes alia medicamenta non usurpant. Cujus therapiae haec fere sunt summa: aegri, dum in balneo tepido sedent, aqua frigida infunduntur, defricantur, lavantur vestibusque aqua frigida immersis induuntur. Aquae, qua utuntur, frigus variatur inter 6 et 30° R. Qua

therapia adhibita symptomata cerebralia deesse, vires numquam tantopere deficere, organa secretoria semper munere suo fungi atque, id quod summum est, mortalitatem multo inferiorem esse ajunt, quam morbo aliter curato. In nosocomio Cel. Traube, magistri mei maxime venerandi, identidem homines typho correptos, qui in morbi stadio primo extremo erant et admodum mediocri catarrho bronchiali laborabant, quorumque temperatura, pulsus, respirationes valde increverant, qui stupidi et tardi jacebant, aquae frigidae perfusionibus curari vidi. Tempore exacerbationis aegroti in alveis impositi ex altitudine mediocri duabus vel tribus aquae amphoris ad 20° R. perfundebantur, ut aqua per tergum deflueret. Hujus curationis exitus erant prosperrimi. Thermometro sub perfusionum frigidarum applicatione continuata temperatura saepe perpetuo minuta indicabatur, pulsus remittebant aeque ac respirationum frequentia, neque minus symptomata cerebralia plerumque meliora fiebant. Aegri alacres, agiliores fiebant, celerius ad ea, quae interrogabantur, respondebant; perfusiones ipsae iisdem haud injucundae erant.

Casus ileotyphi, qui altero morbi stadio usque ad sanitatem restitutam sola aqua frigida curabatur, hoc

tempore observandi facultas nobis data erat. Quem casum subinde describemus.

S. N., puella tredecim annorum, ante hunc morbum bona fere valetudine utebatur, praeterquam quod ante quinque annos scarlatina et morbillis corripiebatur, quibus morbis sine complicationibus brevi tempore defuncta est; abhinc duobus annis querebatur de dextri genu doloribus vehementibus, qui numquam tam acres fiebant, ut incedentem impedivissent; neque ex iis gravis articuli morbus poterat concludi. Ante tres hebdomades laborabat lassitudine, somno inquieto, acribus assiduisque capitis doloribus, qui maxime in regione occipitali sedem habebant; cibi potusque appetentia deerat; in regione epigastrica molestam plenitatem sentiebat; qui status duos fere dies durabat. Symptomatibus, quae descripsimus, non remittentibus aegrotam in lectum transgredi necesse erat, praesertim quum vespere diei secundi saepius frigore tentaretur, in quod postridie longioribus cum intervallis recidebat, quum tempore interjecto acri fervore totius corporis, maxime capitis et oculorum afficeretur; perpetuo maxima siti vexabatur. Paullatim existebat perpetuus aestus febrilis, qui vesperi accrescebat. Primis diebus venter erat suppressus, capitis dolores

permanebant, somnus sollicitabatur somniis gravibus; appetentia cibi non redibat, gustatus erat amarus et injucundus, cutis torrida et fervida, sensorium liberum. Neque puella, quaecunque coram ea fiebant, ignorabat, memoria erat integra, sed invita respondebat ac plerumque quam brevissime poterat. Decimo vel duodecimo morbi die remittebant capitis dolores, conscientia minuebatur, permutabat hebdomadis dies, nonnumquam homines, qui aderant, non cognoscebat. Oculis non plane apertis in lecto jacebat, vultus lentos ac stupidos prae se ferens; pulsus, quamquam jam antea acceleratus erat, tamen tanta velocitate erat, ut centum triginta per singulas minutas numerarentur; cutis temperatura aucta erat. Vesperi puella magis magisque inquieta erat, noctu delirabat. Perpetuo molesta ac brevi tussi et eo magis, quod expectoratio deerat, fatigabatur. Respiratio valde citata vesperi etiam augebatur. Abdomen, cujus compressio dolorem afferre videbatur, aliquantum turgebat. A die decimo exstitit alvi profusio, quae assidue permanebat; faeces autem numquam sanguine tinctae erant. Viribus corporis magis magisque deficientibus febris tenebat; ex cerebri symptomatibus morbus non apparebat remissurus; alvus magis magisque movebatur.

Aegra medicamenta tonica sumebat: chinae decocta, vinum Hungaricum et Burdigalense, nonnumquam ante noctem medicamenta ex opio praeparata; ultimis diebus corpus aqua tepida lavabatur et capiti glacies applicabatur.

Hac fere ratione audiendo percepi, quae adhuc retuli; quae jam sequuntur, testis refero, quum mihi casus observandi occasio data esset. Aegrota, quae nobis ceterum bene exculta esse videbatur, quum illam — tertia morbi hebdomade — videremus, mentis suae expers tunc quoque in lecto jacebat, leniter verba non aperta murmurans, pulvinaria manibus vellens; nonnumquam e lecto surgere frustra conabatur, qua re defessa rursus in lectum relabebatur; cutis maxime fervebat; genis rubefactis, ore semiaperto, dentibus fuligineis videnti mihi se praebebat. Aliquando oris musculi leniter et breviter contrahebantur, oculi bulbis sursum versis non plane clausi erant.

Sentiebatur subsultus tendinum antibrachii, arteriae erant angustae, paullum tentae, pulsus quaque minuta centies quinquagies fere micabat. Pectus percutientes in parte anteriore sonitum clarum audiebamus, in parte aversa superiore eundem percipiebamus, in inferiore levis attenuatio non dubia esse videbatur.

Auscultando rhonchos catarrhales per totum pulmonem pervulgatos, praesertim sibilantes in parte utraque audiebamus; liquidi parce sonabant. Cor percutientes nihil suspecti inveniebamus, auscultantes in apice percipiebamus flatum systolicum, qui etiam in ea regione, qua arteriam pulmonalem auscultare solemus, audiri poterat, sonitus arteriae pulmonalis secundus paullo acutior erat. Attamen nullum erat cordis vitium, quum postea quaerentes cor sanum esse videremus. Abdomen magnopere inflatum, percussione alte pleneque resonabat. Splen, quamvis costis non superimpenderet, haud dubie intumuerat; abdominis palpatione ubique fere gargarizatus clarus animadvertebatur. Alvus jam minus soluta erat; vesica urinaria non completa esse videbatur, etsi admodum parva urinae copia excernebatur. Regio ossis sacri et trochanterum ex duobus diebus rubefacta puellae magnos dolores afferebat; in interiore parte cruris utrinsque ecchymoses caeruleae, quae magnitudinem duorum fere thalerorum aequabant, videbantur.

Quae quum ita essent, dubitari non poterat, quin puella tertiam ileotyphi hebdomadem ageret. Medicus puellae, qui jam complures rationis hydrotherapeuticae successus prosperos in ileotypho sanando adeptus

erat, quia adhuc alio modo rem in statum meliorem convertere nequibat, in hoc quoque casu eadem curatione utendum censuit. Aegrotans primo mane lodicibus humidis bene expressis involvebatur, stramentis laneis contegebatur, caput velamento humido ac frigido circumdabatur. Ita jacebat per horam dimidiam, dum lodices bene calefiebant. Tum denuo velamentis humidis ac frigidis involvebatur, atque his calefactis idem tertio fiebat. Ventilatione, quae movebatur, quum lodix circum aegrotam expassa celeriter vehementerque huc et illuc versaretur, omnis corporis humor brevi tempore exhalabatur. Deinde aegrae in lecto repositae corpus, postquam amplius duas horas frigore vehementissime conquassatum est, paullatim calefiebat, ita ut primum et pedum et manuum digiti extremi atque tum demum reliquae corporis partes calescerent. Postea puella non jam delirabat et thermometro patefiebat, calorem gradu dimidio remisisse; pulsus ad 130 per minutas singulas numerabantur, sensorium autem integrum non redierat. Postridie mane aegrotans eodem modo iterum involvebatur, nec minus vesperi ejusdem diei, nisi quod involutio semel fiebat. Ita factum est, ut patiens noctu animo esset quietiore, respirationes retardarentur, tertio mane

mentis jam compos esset, pulsuum numerus centum viginti esset, respirationum triginta, dum thermometro 38,9° indicabantur. — Quo eventu bene confirmatus medicus aegrotam per sequentes quoque dies stramentis frigidis et humidis involvi jussit. Inde aegrae sanitas in dies magis miro modo restituebatur. Hac medicatione adhibita octo vix exacti erant dies, ubi puella in lecto surgere potuit et appetentiam cibi recuperavit. Itaque ratione hydriatica, usque ad valetudinem plane restitutam pari modo continuata, brevi tempore recreata est.

Dicas quidem, aegram etiam aliter curatam e morbo evasuram fuisse. Dicas sane, sed quum praeter hunc casum multi alii referantur, qui pari curatione subito in statum meliorem conversi sunt et brevi tempore ad sanitatem pervenerunt, certe hydrotherapia, quae respiciatur, digna est. Illa nonnumquam morbum nihil emendari etiam hydrotherapeutae profitentur.

Aquae frigidae effectus in eo maxime positus est, quod calor via directa minuitur. Qua re sola etsi febris non tollitur, certe imminuitur, si verum est, aquam frigidam ea centra nervina, quae impediunt, quominus calor paretur, per reflexum excitare. Prae-

terea aqua ut frigidum remedium excitans vim in jacentes cerebri functiones exercet.

Wunderlich commendat in gravibus casibus, si temperatura perpetuo fervidissima et pulsus velocissimus est, infusum digitalis, ut remedium, quod vi permagna febrim fervidam, symptoma molestissimum oppugnet. Hoc remedium aeque ac magnesia sulphurica jam saepius morbum lenivisse lenitumque melius ad finem perduxisse dicunt.

CAP. IV.

Restat, ut ileotyphi therapia et abortiva et generali pro dispositione hujus libelli descripta ad illam transeamus rationem therapeuticam exponendam, qua his temporibus pars medicorum arte insignium maxima utuntur et cujus exitus non minus prosperi apparent, quam aliarum curationum, quas supra perlustravimus. Non dubitans, quin adversus typhi decursum nihil profici possit, rationem adhibeas exspectativam et diaeteticam, diligenter omnia symptomata respicias, quae aegroto molestissima esse possunt, sive casus ipsius, sive complicationum propria sunt atque idoneis remediis ea oppugnes. Imprimis vero, in quo omnes consentiunt, aerem in conclavi, in quo aeger est, purum esse opus est. Quo consilio fenestrae sae-

pius aperiendae sunt, neque quidquam interest, utrum afflatus oriatur, necne. Purgatio illius conclavis, in quo aeger est, sic quoque effici potest, ut id cum alio conclavi conjungatur bene ventilato. Omnia aegri excrementa sine mora auferenda sunt. Magnae etiam curae esse debet cubile, ut omnis pressio inaequalis, quae maturare possit decubitum, vitetur. Quamdiu fieri potest, aegrotus, ut situm permutet, admonendus est, ne exorientes hypostases periculum morbi augeant. Aeger insuper saepe lavandus est aut sola aqua frigida, aut aceto diluto, aut parte spiritus frumenti cum sex vel quinque partibus aquae mixta. Lintea ipsa saepius permutentur. Bibendae sunt aegroto mixturae frigidae acidulaeque, saturationes. Si aeger tardior est, quam ut ipse sitim sedet, interdum, ut bibat, eum adhorteris. Alvo soluta mixturae acidulae intermittantur ac detur potius aqua aut sola aut cum acido carbonico mixta, cremor ptisanae aut avenae. Si aegri ab initio cibis frui possunt, hi quidem praebeantur, sed solum faciles atque in porrigendo cautio adhibeatur, mane et vesperi detur aliquid lactis, decocto pituitoso molli interjecto. Quodsi principio appetentia cibi abest, id aliquamdiu patiaris; postea autem, dummodo ne aegrotum cibi taedeat, aut si tam tardo est animo, ut ipse cibum non postulet, ne

omittas illum admonere, ut alimentis blandis, quae supra commemoravimus, fruatur. Deinde alia accedant, jus gallinaceum aut e carne vitulina praeparatum, vitelli ovi cum aqua mixti, vinum quoque aqua mitius factum. Postea demum, discrimine sublato, victus opulentior praeberi potest, tum coffea, thea, ova sorbilia indicata sunt, neque poma decocta sunt noxia. Maxime autem in ileotypho tractando, quum arte medica minimum valeamus, curatio diaetica observanda est. Dummodo juste eam adhibeas, plus utilitatis afferes, quam medicamentis, quamvis sint ratione ac sollertia proposita.

Cura symptomatica tum demum respicienda est, si singula symptomata typhi propria modum excedunt et periculum afferunt; aut si complicationes accedunt, quae fausto morbi processui obstare possunt. Ad febrim levandam potus aciduli et refrigeratio conclavium pertinent. Si febris acrior ac continua fit, perfusiones frigidas et involutiones humidas experiaris. Num corpus axungia linentes multum ad febrim mitigandam valeamus, ex iis, quae usque ad hoc tempus cognita habemus, in dubio residet. Maximi autem momenti est catarrhus bronchialis, qui serius ociusve accedit; perunctiones thoracis adiposae, fomenta ibidem applicata, tum infusum ipecacuanhae (e gr. x—xv

cum aquae dest. ℥vj paratum) ad catarrhum levem sanandum, qui est creberrimus, sufficient. Si lentissima sunt secreta, neque expectoratio hac de causa integra, sumatur aut sulphur auratum, aut flores benzoes, aut liquor ammonii anisati, aut senega; sin gravior est catarrhus periculumque suffocandi instat et dyspnoea, sine mora vomitus instituatur. In catarrho laryngis potiones pituitosae continuandae sunt; extrinsecus vesicantia et cataplasmata applicanda sunt. In laryngis stenosi, quae ileotypho procedente propter causas diversas accidere potest, simulatque cyanosis et periculum suffocandi adsunt, tracheotomia suscipienda est, quamvis haec operatio tum crebro exitum infaustum habuisse tradatur. Si pneumonia hypostatica positione secunda evitari non potuerit, ad eam opprimendam non multae artes nobis suppeditant.

Contra molestias organorum, quae digestioni praesunt, maxime haec agendi ratio adhibenda est. Interdum enim dolores ileocoecales gravissimi sunt, quod tum plerumque peritonitis localis accessit. Ibi calida cataplasmata ad abdomen applicanda et infrictiones unguento cinereo faciendae sunt. Nonnumquam nonnullae hirudines indicantur. Si alvus deponi non potest, doses parvae sumantur calomelanos sive olei ricini mane unum cochlear cibarium. Exigua quidem

diarrhoea negligenda; sin profusa fit et perpetua molestia et sordibus aegrotum vexat, remediis contra eam utendum est. Opium in solutione mucosa, alumen, argentum nitricum, acidum tannicum, plumbum aceticum, etiam liquor ferri sesquichlorati, cetera remedia adstringentia adhibere licet, alia nimirum in aliis, quae natura atque habitus aegrotantis postulat. In haemorrhagiis intestinorum item remedia adstringentia adhibeantur, nominatim liquor ferri sesquichlorati, extrinsecus bursae glacie impletae abdomini circumdentur, frigida clysmata injiciantur, pilulae e glacie crebro ingerantur; praeterea maxima quies ac severissima diaeta servandae sunt. Contra molestum meteorismum clysmata olei terebinthinae aut solius aquae frigidae commendantur, fomenta eorundem medicamentorum abdomini imponenda; interdum lene medicamen catharticum meteorismum optime coercet. Intestino perforato gravique peritonitide imminente opium plerumque indicatur, quod efficit, ut intestina quiescant, partium affectarum inflammatio tritu non augeatur earumque agglutinatio exsudato inflammatorio magis adjuvetur. Opii gr. β secunda quaque hora porrigitur. Qua re eodem tempore in aegroto perceptio dolorum vehementium minuitur. Praeter hanc institutionem maxima quies praecipienda,

omnes potus vitandi sunt, pilulas e glacie tantum aegro devorare licet. Tum demum, quum haec symptomata remissa sunt, aegrotans lac, vitellos ovorum cum aqua mixtos, alias res mites assumere potest.

Si initio capitis dolores gravissimi, vertigo vel deliria exstant, fomenta capitis frigida sufficiunt, aut bursae glacie completae, aut si congestio ad cerebrum est nimia, hirudines post utramque aurem. Quae si non remittit, magni sinapismi, aut, quod multo majore momento est, frigidae perfusiones in balneo tepido adhibeantur, non respecto levi catarrho bronchiali. Si aegroti valde excitati sunt et dormire non possunt et deliriis furibundis vexantur, opium et antispasmodica indicantur.

Si vires deficiunt et cordis agitatio remittit, medicamenta praebeantur irritantia: vinum firmum, camphora, moschus.

In statu haemorrhagico septicoque typhi plerumque conjunguntur chinae praeparata cum elixirio acido Halleri, acido muriatico, acido phosphorico; si pyaemia accessit, chinini sulphurici magnae doses administrentur.

Quomodo decubitus evitandus sit, in praeceptis diaeteticis diximus. Si primus rubor adest, locus inflammatus aqua plumbi sive succo citri oblinendus est,

neque concedas, ut hac parte aegrotus in lecto incubet, si vis morbi progressum restringere. Si decubitus gangraenosus prohiberi non poterat, remotio partium necroticarum cataplasmatibus adjuvanda est. Deinde vinum camphoratum, aqua chlorata, kali hypermanganicum applicentur diligenter et partes gangraenosae amoveantur.

Quando in ileotypho urinae difficultates non rarae sunt, qualis urinae excretio sit, semper respiciendum est. Primum aegroti torpidi admonendi sunt, ut vesicam urinariam depleant; si nequeunt, fomenta calida applicanda sunt in vesicae regione et aqua Seltersiana propinanda est. Si haec omnia non procedunt, regio epigastrica percutiatur et catheter inferatur in vesicam.

Contra auditus hebetudinem, quae in stadio secundo ultro oriri solet, nihil suscipiendum. Si aegri de aurium doloribus queruntur, nonnullae hirudines ad processum mastoideum admoveantur. Si otorrhoea vexantur aegroti, hoc in latus incumbere jubeantur, in quo auris laborans est, ut pus bene profluere possit. Reliqua therapia in hac re posita est, quod aqua frigida in meatum auditorium externum injicitur.

Vehementissima sanguinis profusio e naribus medicamentis adstringentibus et obturatione cavi narium tollenda est.

magnifico, receptus et ab Ill. de Langenbeck, ordinis medicorum decano maxime spectabili, numero studiosorum medicinae adscriptus sum. Hic disserentes audivi viros Ill. Exp. Hueter, Mitscherlich, Virchow atque scholis clinicis et policlinicis interfui virorum Ill. Cel. Exp. Ebert, Frerichs, de Graefe, Griesinger, de Langenbeck, Martin, Traube.

Quibus omnibus viris summe venerandis optimeque de me meritis gratias ago semperque habebo quam maximas.

Tentaminibus denique et physico et medico nec non examine rigoroso superatis thesibusque die 1 m. Augusti a. MDCCCLXVI palam defensis, propter bellica tempora, ex jussu Ministerii regii, jam summi in medicina et chirurgia honores in me collati sunt, ea quidem conditione, ut postea dissertationem ederem, cui promisso nunc grato animo satisfeci.